



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Cursus Theologico-Moralis

Ad usum Tyronum elucubratus, Et in Quotidianis Prælectionibus  
Quoad ea, quæ Moralis Theologia disputat De Sacramentis, & Censuris

**Viva, Domenico**

**Patavii, 1723**

Art. II. De Irregularitate, quæ incurritur propter homicidium, aut  
mutilationem injustam.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40650**

ticorum, ex cap. *Non potest*. 2. quaest. 7.

Secundo sequitur, non esse irregulares ex hoc capite, qui daemone sine haeresi colunt, aut cum eo pactum ineunt; quamvis ex alio capite, videlicet ex suspitione haeresis, ex qua confurgit infamia, fieri possint irregulares, donec purgent suspitionem.

Tertio, nec esse irregulares Schismaticos, quando schisma non est conjunctum cum haeresi, ut communiter docent contra Ugolin.; quia non est expressa in jure talis irregularitas.

Quarto, esse irregularem, qui cogitur in judicio abjurare ab haeresi probata; quia hic censetur vere haereticus.

Adde, non solum Apostatam a fide, sed Apostatam a religione esse irregularem; ut docent Bonac., Ugolin., & alii ex cap. *Fini*, de *Apostatis*; ubi dicitur, Apostata a religione non esse admittendus ad Ordines durante eo statu.

Adde ulterius, esse etiam irregulares filios haereticorum usque ad secundam generationem per lineam paternam, & usque ad primam per maternam, ex cap. *Saturum* 2., de *haereticis*; Quod tamen intelligendum, dummodo parentes mortui sint in delicto haeresis. Si tamen filius natus sit ante lapsum parentis in haesim, putant probabilius Bonac., Sanch. contra Suar., Filliuc., quod non sit irregularis; tum quia versamur in materia odiosa, quae benigne est interpretanda; tum a pari, quia filii reorum criminis laesa majestatis non subjacent poenis, quibus subjacent nati post delictum; ergo ita in casu nostro.

Dubium est; an Haeresis, & Apostasia occulta irregularitatem inducant?

Affirmant Bonac., Sylvest., Navar.,

Negant tamen Laym., Henr., Avil.; quia non propter haeresim, & apostasiam secundum se, sed quatenus juris infamia annexam habent, videtur irregularitas ista decreta: Praesertim cum dicatur in cap. *Abolendum*: *Quicumque manifeste fuerit in haeresi deprehensus*. Quamnam autem crimina infamiam inducant, dicemus cum de irregularitatibus ex defectu; Etenim tam infamia juris, quam facti, quae irregularitatem inducunt, stare possunt sine patratu delicto.

VI. Rogabis; Quisnam possit in irregularitate ob haeresim contracta dispensare?

Respondeo cum Suar., Sanch., Bonac., probabiliter posse etiam Episcopum, si crimen sit occultum, ex Trident. sess. 24. cap. 6.; quia quamvis in Bulla Coenae reservetur hic casus Pontifici, reservatur tamen quoad absolutionem a culpa, & censura, non quoad dispensationem ab irregularitate: Et idcirco putat Sanch. contra Suar., quod possit Episcopus etiam per Vicarium dispensare; quia in Trident., sola absolutio ab haeresi occulta limitatur, ut Episcopus per seipsum illam concedat.

## ARTICULUS II.

De Irregularitate, quae incurritur propter homicidium aut mutilationem injustam.

- I. In quo differat homicidium voluntarium a casuali? Quandonam casuale inducit irregularitatem?
- II. Ut mutilatio injusta irregularitatem pariat, debet esse membri precipui.
- III. Irregularitas incurritur ab omnibus ad homicidium concurrentibus, etiam ab eo, qui ex officio tenetur illud impedire, & non impedit; non tamen a ratihabente.
- IV.

IV. Mandans homicidium, morte non secuta, excommunicationem quidem incurrit, non vero irregularitatem.

V. Concurrrens ad homicidium, si doleat de culpa, antequam ille moriatur, morte secuta, irregularitatem incurrit, sed probabiliter non incurrit excommunicationem.

VI. Quid si mandatum de homicidio, aut consilium revocetur?

VII. Quid si plures ad homicidium concurrant ex subita rixa, sed unus tantum infligat vulnus lethale?

VIII. Si quis esset in causa, ut alter illicite exponatur periculo mortis, hac secuta, irregularitatem incurrit.

IX. Episcopus in irregularitate orta ex homicidio voluntario, quamvis occulto, dispensare non potest: potest tamen, si oriatur ex casuali; Quid si illud sit omnino occultum, ita ut in iudicio probari non possit?

X. Homicidium casuale non parit irregularitatem, si sine gravi culpa patratum sit. Nec si patretur ab ebrio, vel dormiente, qui illud non providet.

XI. Qui dat operam rei illicita periculose, secuta alicujus morte, incurrit irregularitatem, quamvis diligentiam adhibuerit ad homicidium præcavendum.

I. **H**omicidium injustum, (& idem dicas de mutilatione) vel potest esse Voluntarium, vel Casuale, ut si quis volens Petrum dumtaxat ferire, vel graviter percutere, illum casu, & præter intentionem occidat: Utrumque irregularitatem inducere potest; si tamen ex gravi culpa procedat; Quando autem inducat, hic examinandum. In articulo vero sequenti agemus de homicidio justo, sive fiat in bello justo, & ratione propria

defensionis, quod dicitur necessarium; sive in iudicio ratione publicæ potestatis, quod dicitur legitimum.

Quæritur primo; Quid sit homicidium voluntarium, prout differt a casuali?

Respondeo, voluntarium homicidium dici illud, quod directe intenditur ab homicida vel in se, vel in sua causa; ut si præbeat alteri venenum, aut ense illum percutiat in capite; sic enim ponit causam morali necessitate inductivam mortis: Quare in hoc differt a casuali, quod hoc non intendatur ab operante: Quamvis irregularitatem etiam inducat, ut videbimus, quando homicidium præter intentionem sequitur per hoc, quod operans non adhibuerit debitam diligentiam ad illud præcavendum; præsertim si dabat operam rei illicitæ.

II. Idem dicendum de mutilatione, quæ tamen debet esse membri præcipui, puta manus, pedis, oculi, &c. Immo etiam si dimidia manus amputetur, ut docet Suar., cum communiore Canonistarum: Contra vero non incurritur irregularitas, si amputetur unus tantum digitus, quicumque sit, sive cartilagines, quæ deserviunt ad ornatum, & tutelam aurium, sive dentes, ungues, labia, nasus, testes, mamillæ, &c. Nec si quis excæcetur non erueno oculum; aut si membrum tantum debilitetur sine amputatione.

Adde, dici etiam casuale homicidium voluntarium commissum in sui defensionem sine moderamine debito apud Dian. part. 9. tract. 7. resol. 22., sicut etiam si non sit factum ex industria, & per insidias, sed ex subita ira.

III. Quæritur secundo; An irregularitas propter homicidium voluntarium incurratur ab omnibus voluntarie ad illud concurrentibus?

A a 2 Re-

Respondeo affirmative; Quare non solum est irregularis, qui vel directa intentione alium occidit, vel ponit actionem, ex qua morali necessitate consequitur mors jam praevisa; sed etiam mandans, hortans, consulens, incitans, comminans, nisi quis alium occidat, animans suo favore, & auxilio, ut constat ex cap. *Siquis viduam*, dist. 50. Immo probabile est, ut notat Con., & Avil., eandem irregularitatem incurrere, qui tenetur mortem alicujus, vel mutilationem ex officio, seu ex justitia (non vero ex charitate tantum) impedire, & tamen non impedit.

An etiam irregularis sit, qui ratum habet homicidium suo nomine patratum, quod antequam fieret, poterat mandari? Aliqui affirmant, quia ratihabitio in hoc casu comparatur mandato; ergo sicut mandans, ita ratum habens est irregularis; Sed Avil. cum Henr. negat; tum quia ratihabitio in tali casu non est causa homicidii, cum sit illo posterior; tum etiam quia non est hoc in jure expressum. Ratihabitio autem comparatur mandato quoad culpam, non vero quoad poenas, nisi exprimat.

IV. Notandum tamen primo, morte non secuta, non incurrir irregularitatem neque a ponente causam mortis, neque a mandante, consulente, &c.; nam quamvis mandans per assassinos aliquem occidi, incidat in excommunicationem, effectu non secuto, non tamen in irregularitatem; quia solum ibi imponitur in jure excommunicationem etiam effectu non secuto, non tamen imponitur irregularitas in mandante homicidium effectu non secuto: Immo, ut notat Con. num. 60., neque incurrir irregularitatem, qui alium lethaliter vulneravit, si aliunde, puta ex fulmine, ille moriatur, ita ut vulnus nullo modo concurrat ad citius moriendum.

V. Notandum secundo, quod irregularitas, morte secuta, incurrat ab homicida, & a cooperantibus ad homicidium, etiam si illos poenituerit facti, antequam ille moriatur: Quamvis enim multi probabiliter putent, in tali casu non incurrir excommunicationem, cum propter poenitentiam cesset contumacia, adeoque cessat requisitum essentiale ad incurrendam censuram; At nemo dixerit, non incurrir irregularitatem, quae non praexigit contumaciam, cum sit poena delicti vindicativa, non medicinalis.

VI. Notandum tertio, mandantem, & consulentem, &c. debere suo mandato, vel consilio influere in homicidium; Quare si mandatarius dicat, vel aliunde id constet, occidisse illum ex inimicitia privata, aut alia de causa, in tali casu mandans homicidium irregularitatem non incurrir; si tamen dubitet, an suo mandato, vel consilio influxerit, etiam est irregularis, cum versetur in dubio facti circa homicidium, ut diximus quaest. praecedent. art. 4. Quod si quis volenti occidere suadeat mutilationem tanquam minus malum, cum non peccet juxta sententiam probabilem, nec irregularitatem incurrir: Immo si determinatum ad occidendum suo consilio, vel mandato moveat ad citius, vel crudelius occidendum, Hurt. dist. 6. cum aliis contra Suar., Pal., Avil. putat, quod neque irregularitatem incurrat, quia non influit in homicidium simpliciter; siquidem alter jam erat determinatus homicidium patrare.

Notandum quarto, mandantem homicidium teneri ante effectum serio revocare mandatum, ut cesset omnis influxus mandati, & sic irregularitatem devitet: Quod si mandatarius adhuc post revocationem persistat in voluntate occidendi, tenetur mandans etiam ex justitia illum, quem in periculo vitae posuit per suum mandatum.

rum, monere, ut sibi caveat; aliter irregularitatem non vitabit. Nec factis est, ut notat Suar. disp. 44. sect. 3., quod mandatarius a principio non acceptaverit mandatum; quia mandatarius semper existimat, quod mandans optet homicidium; unde quamvis mandatum non influxerit a principio, potuit tamen influere in decursu. Eodem modo consulens tenetur consilium revocare validioribus rationibus in contrarium: Quod si is, cui datum est consilium, persistat in voluntate occidendi, tenetur pariter consulens monere occidendum, ut sibi caveat; aliter irregularitatem incurret, ex Suar. num. 13., Hurt. diff. 6.; Nisi tamen ille dicat, non ex consilio accepto, sed ex alia causa persistere in voluntate occidendi, ut notant Rodriq., & Avil.

Neque dicas; Qui lapidem projecit ad Petrum occidendum, quamvis illum lapidem conetur detinere, antequam Petrum occidat, non proinde irregularitatem vitabit, si mors sequatur; Sic etiam qui venenum propinavit, quamvis conetur mortem impedire, si non impedit, est irregularis; ergo etiam qui mandat, aut consulit homicidium, quamvis pro virili conetur mandatum, aut consilium revocare, adhuc est irregularis, si homicidium sequatur.

Nam ex Suar. num. 7. negatur consequentia. Disparitas est, quia lapis, & venenum sunt causa physica mortis, ut proinde si mortem causant, illi tribuenda sit, a quo mota fuerunt: Contra tamen consilium, & mandatum sunt causa moralis; unde si mandatarius Petrum occidit, potest illum occidere ex alio capite, quam ex vi mandati; atque adeo si mandatum sit sufficienter revocatum, ita ut constet non ex vi mandati secutum esse homicidium, irregularitas non incurritur.

VII. Notandum ultimo, quod quando plures, præmissis consilio, concurrunt ad occidendum Petrum, secuta morte, omnes sunt irregulares, quamvis sciatur, quod ab uno tantum determinato sit occisus. Ita Avil. dub. 3. Ratio est, quia omnes illi fuerunt velut una causa moralis homicidii: Eodem modo est irregularis, qui homicidam associavit animo illum defendendi, si succumberet, quamvis dissuaderet illi homicidium. Ratio est, quia talis associatio auget animum delinquentis. Adde, quod si plures hominem talem occidant, non præmissis consilio, sed ex rixa, ita tamen ut Petrus ab uno vulnere sit occisus, & nesciatur quisnam tale vulnus inflixit, tunc omnes pariter sunt irregulares, si de omnibus dubium sit, quod tale vulnus inflexerint; Si vero sciatur, quod Titius Petrum occiderit, Covarr. putat, quod solum Titius sit irregularis; Sed verius cum Avil. existimo, omnes pariter esse irregulares; quia omnes simul, quamvis non præmissis consilio, Petrum oppugnarunt, & sic concursim præbuere, tanquam una causa totalis moralis.

VIII. Quæritur tertio; An qui consulit alteri, ut illicite se exponat probabili periculo mortis, sit irregularis morte secuta?

Respondeo cum Avil. affirmative; quia sicut censetur homicida suimet, qui injuste, & temere se exponit periculo mortis; ita est homicida alterius, qui illum suo consilio temere, & injuste exponit periculo mortis: Exempli gratia, si faciat præliantem ingredi per tectum domus, aut per alia loca periculosa. Eodem modo ex Avil. est irregularis, qui consulit Petro, ut occidat Paulum, & tamen Petrus occiditur a Paulo, quia exponendo Petrum periculo mortis injuste, reus est mortis Petri.

IX. Quæritur quarto; Quisnam pos-

fit

fit in homicidio voluntario dispensare?

Respondeo, solum Pontificem: Episcopus enim potest quidem in aliis irregularitatibus ortis ex occulto delicto dispensare; sed excipitur dumtaxat homicidium voluntarium; (diximus tamen quaest. 8. art. 3. num. 7. probabile esse, quod etiam in hoc homicidio possit Episcopus dispensare, si sit omnino occultum, adeo ut in iudicio probari non possit) Ex quo sequitur, quod possit Episcopus dispensare, si irregularitas proveniat ex homicidio casuali occulto; Necnon si ex mutilatione injusta occulta, ut communiter docent cum Avil., Suar. contra Sanch. tom. 1. Summ. cap. 10., Medin., Henr., & alios apud Bonac. Immo potest etiam dispensare, si proveniat ex homicidio voluto in se, excedendo moderamen inculpatae tutelae, dummodo sit occultum; ut docent communiter cum Avil., Valent., Con. apud eundem Bonac.; quia tale homicidium non censetur voluntarium; cum non fuerit ex proposito, & ex voluntate absoluta occidendi.

X. Quæritur ultimo; Quandonam incurratur irregularitas propter homicidium casuale?

Respondeo, homicidium omnino casuale, quod sine culpa accidit, non ferre secum irregularitatem; ferre vero illam homicidium casuale, quando non est adhibita debita diligentia ad illud præcavendum, sed lata culpa intercessit; præsertim si secutum est dando operam rei illicitæ; Dixi, si præcessit lata culpa; nam si levis tantum, aut levissima culpa intercessit, irregularitas non contrahitur; cum hæc supponat peccatum mortale, ut communiter docent contra Cajet., Armil., & alios. Est autem lata, seu gravis culpa, seu negligentia, omissio illius diligentiae, quam adhibere solent in simili casu prudentes, ac diligentes;

est vero levis, quam solent diligentiores, levissima, quam diligentissimi.

Hinc sequitur primo, homicidium commissum ab amente, vel furioso non inducere irregularitatem, cum non sit voluntarium, nec peccaminosum; Voluntarium enim ex Aristotele est a principio cognoscente singula. Secundo, neque irregularitatem inducit homicidium commissum ab ebrio, vel dormiente, qui non prævidit illud secutum; censetur enim esse casuale. Tertio, neque si committatur a puero non habente usum rationis sufficientem ad peccatum.

XI. Dubium est apud Doctores celeberrimum; An universim qui dat operam rei illicitæ, morte secuta, sit irregularis, etiam si adhibuerit diligentiam ad mortem præcavendam.

Respondeo, aliquos cum Sylvest. apud Avil. disp. 6. sect. 1. absolute affirmare; Alios vero cum Henr., Cano, Less., Bonac., Con. dub. 9. negare: Media via probabilius incedunt Avil., & Suar. disp. 45. sect. 6. cum aliis, dicendo, irregularitatem incurri, si detur opera rei illicitæ periculosa, etiam si adhibita sit diligentia ad homicidium præcavendum; non vero si detur opera rei illicitæ non periculosa. Ratio est, quia in eo casu nunquam censetur adhiberi debita diligentia, nisi cessetur a tali operatione periculosa, quæ est proxima occasio mortis; quamdiu enim quis vult tale opus, vult causam, & periculum ad homicidium, atque adeo vult ipsam homicidium; puta si explodatur bombardæ ad arcem; non vero si quis illicite apros venetur, & alia huiusmodi, quæ sine proximo periculo homicidii fieri possunt.

Juxta varias has sententias decidendum est; Sintne irregulares primo Aromatarii, qui ex rebus corruptis conficiunt medicinas; Secundo, qui præ-